



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina &
Generaliora**

Possevino, Giovanni Battista Bernardino

Coloniæ Agrippinæ, 1645

Absolutio excommunicationis quomodo concedenda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42220

satisfaciat & restituat, rem, famam, vel honorem, quæ proximo abstulerit; tum ubi præscriferit salutarem pœnitentiam, quemadmodum infra dicetur, eum absoluet.

Absolutio excommunicationis quomodo concedenda.

Sifortè pœnitens aliquam censuram incurrebit, à qua eum absoluere possit, antequam conferat absolutionem à peccatis, eam debet, quæ à censuris datur, præmittere, multum autem iuvat ad cautelam, si semper eadem præmittatur, quatenus scilicet potestatem habet, ac pœnitentem indigere arbitratur. Similiter si pœnitens casu aliquo reseruato teneatur, nisi licentiam absoluendi habeat, eum non absoluat; alias enim in excommunicationem incideret à Syndodo nostra Diœcesana latam. Nec ipsi Regulares, quantumvis priuilegio, quod Mare magnum vocant, vel alijs quibusvis indultis gaudеant, à prædictis casibus absque peculiari nostra licentia absoluere possunt: que in admodum Gregorij XIII. Pont. Max. Sanctitas ex Cardinalium consilio, ad quos Concilij Tridentini interpretatio pertinet, declarauit.

Multo minus sese ingerent ad absoluendum à casibus in Bulla in Cœna Domini contentis, vel alijs Sedi Apostolicæ referuatis.

Atqui ut omnes; qui in nostra versantur Diœcesi, unam, eandemque absoluendi formam obseruent, hoc quo lequitur modo absolutionem præferent. Sed interim admoneamus omnes serio, ne verba ea omittant, in quibus tota absolutionis vis consistit, videlicet: *Ego te absolv*

absoluo. Hic itaque omnibus sit præfixus absol-
uendi modus.

Absolutionis formula.

*Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis
 omnibus peccatis tuis, perducat te ad vitam ater-
 nam, Amen.*

*Indulgentiam, absolutionem, & remissionem o-
 mnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipo-
 tent & misericors Dominus, Amen.*

*Dominus noster IESVS Christus te absoluat, &
 ego auctoritate ipsius absoluo te ab omni vinculo
 excommunicationis, suspensionis, & interdicti, si
 quod incurristi, quantum possum, & indiges.*

Deinde:

*Ego te absoluo ab omnibus peccatis tuis, in no-
 mine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.
 Passio Domini nostri IESV Christi, merita B. Ma-
 ria semper Virginis, & omnium Sanctorum, &
 quicquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi
 in remissionem peccatorum, augmentum gratiae,
 & premium vita aeterna, Amen.*

*In satisfactionibus, vel pœnitentijs Confes-
 sarius circumspectus esse debet, ne adeo leues
 illæ sint, & faciles, ut potestas clavum in con-
 temptum veniat, ipseque particeps fiat, & con-
 fessor aliorum peccatorum, neque nimis graues,
 aut longæ iubeantur, ut vel recusent eas exequi,
 vel etiam si acceptas habent, postea tamen ple-
 ñe non perficiant.*

*Canones pœnitentiales ad unguem Confes-
 sarius teneat.*

*Idcirco Confessarius Canones pœnitentiales
 ad un-*